

tor superius Libri a *Boethio* inscripti de *Hebdomadibus*, quo loco, nisi is Liber periit, lapsum arbitrator. Audi *Boethium* in *Tractatulo de Bono* edit. *Basil.* 1546. p. 963. f. *Postulas, ut ex Hebdomadibus nostris ejus quaestionis obscuritatem, quae continet modum, quod substantiae in eo, quod sint, bonae sint, cum non sint substantia bona, digeram &c. Hebdomadas uero ego ipse mihi commentor, potiusque ad memoriam meam speculata conseruo, quam cuiquam participo, quorum lasciuia ac petulantia nihil a ioco risuque patitur esse disjunctum. Diceres, Hebdomadas istas nunquam serinia Commentatoris egressas fuisse. Interim, quamvis etiam *Abailardus* crepet *Boethium*, Codicem *S. Victoris* ab *Oudino* T. II. col. 1287. citari video, quo *Gilberti Porretani Commentaria* non modo in *Boethium de Trinitate*, et de duabus in *Christo Naturis et una Persona*, sed etiam in *Librum de Hebdomadibus* contineri dicuntur, quo inducor, ut etiam praesentes *Maximas theologicas*, donec quis certiora doceat, referendas ad illum arbitrer.*

XCIX.

U. 13 Codex membraneus lat. Sec. XIII. exeuntis Folior. 108. f. luculente exaratus, et rubricis distinctus *Aetus Apostolorum* continet textu medio lineis ad recipiendam *Glossam* rarioribus, quem utrinque *Glossa ordinaria* comitatur,

ut videre est in Bibliis glossatis impressis, v. g. *Lugduni* 1545. T. VI. f. Praeter Prologum: *Lucas natione syrus cuius laus &c.* jam ipsa, quae Textui in Codice praemittuntur: *Lucas medicus antiochensis greci sermonis non ignarus &c.* *Glossae Ordinariae* pars sunt.

C.

Codex membraneus lat. Sec. R. 3079 partim XII. partim XIII. Folior. 242. f. min. parte sui principe verum Calligraphiae specimen, literis initiorum cubitalibus ex aevi gustu deauratis, picturatisque, columna media angusta, ut utrinque locus esset *Glossae ordinariae*, lineis distantibus, ut recipi posset *Glossa interlinearis*, colore Textus rubicundo, ut ab aterrimo *Glossae* distingueretur, continet *D. Pauli Epistolas* ordine consueto e vulgata interpretatione. Atque utinam confitisset ei haec sua primaeva elegantia! Verum quidam Sec. XIII. Possessor marginum spatio pellectus *Petri Lombardi Commentario* in dictas *Epistolas* eos magnam partem implevit caractere quidem non ineleganti, sed admodum minuto. Cum autem etiam dum superessent spatia, infusus aliquis tremula manu Sermones in quasdam *Dominicas, de Ramis Palmarum, de Defunctis &c.* inferfit.

Fol. 215. manu, ni fallor, ejus, qui *Lombardi Commentarium* adscripserat, sequitur *Expositio Can-*